SACRA RITVVM

CONGREGATIONE

Emo, & Rmo D. Cardinali

DE ABDVA

Hyspalen. Extensionis Officiorum

SS. ISIDORI, ET LEANDRI

P R O

Rmo Capitulo Ecclesiæ Patriarchalis
Hyspalen.

Memoriale.

Typis De Comitibus 1717.

Hispalen. Extensionis Officiorum.

Eme, & Rme Dne. DEcanus, & Capitulum S. Patriarchalis Ecclesiæ Hispalensis memores gratiarum, & beneficiorum, quibus eorum Ecclesia illustrata, & insignita fuit à duobus magnis Regnorum Hispaniæ Luminaribus, & Sanctissimis, ac doctissimis Præsulibus germanis Fratribus, scilicèt Isidoro, & Leandro dictæ Sanctæ Ecclesiæ Archiepiscopis, quorum alter luminare maius, alter luminare minus dictorum Regnorum meritò denominari possunt ob eorum eximiam doctrinam, scientiam, & sanctitatem, quibus vniuersam etiam Ecclesiam Catholicam illustrarunt, videntes nihilominùs eorum cultum, & venerationem esse in solâ Archidiœcesi Hispalensi restrictam, ex quo ex Sedis Apostolicæ concessione eorum festiuitates cum officio proprio sub ritu duplici ab hac Sacra Congregatione approbato, & per San. mem. Papam Sixtum Quintum confirmato *Summario Num.* 1. intrà cancellos dictæ Archidiœcesis Hispalen. coarctentur, & cupientes ad maiorem Dei gloriam, vt eorum Sanctitas maioribus præconijs, tàm in Regnis Hispaniarum, quàm in vniuersâ Ecclesiâ Catholicâ lucescat, supplicarunt Sanctissimo Domino Nostro, vt dignaretur officia propria dictorum Sanctorum, eorumque solemnes dies, & festiuitates iuxtà eorumdem Sanctorum meritorum exigentiam extendi, nempè illud Sancti Isidori sub ritù duplici ad omnes Ecclesias Orbis Catholici, quò verò ad Ecclesias Regnorum Hispaniæ sub ritù duplici secundæ Classis cum octaua. Illud verò Sancti Leandri ad omnes Ecclesias Regnorum Hispaniæ sub ritu duplici; Cumque dictum Memoriale iuxtà stylum Sanctissimus Dominus noster huic Sacræ Congregationi remiserit, & in sequelam deputatus fuerit in Ponentem Eminentissimus, & Reuerendissimus Dominus meus de Abdua, à quo dictum Memoriale in hodiernâ Congregatione proponitur, supplicant Oratores, vt EE. PP. prò gratia rescribere non dedignentur.

Et in primis est præmittendum, quod prò dicta gratia supplicant etiam Sedi Apostolicæ Inuictissimus Rex Catholicus *Summario Numer.* 4. Eminentissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus Hispalensis, *Summario Num.* 5., & Reuerendissimus Episcopus Ciuitatensis, *Summario dicto Num.* 5. *littera B.*, necnon Illustrissimus Magistratus Ciuitatis Hyspalen. *Summario Num.* 7., & omnia Reuerendissima Capitula, & Canonici Regnorum Hispaniæ, prout ex illorum Epistolis, quæ datæ fuerunt originalitèr in manibus Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini mei Ponentis, & non-

 nullæ

nullæ illarum transcribuntur *in Summ. Num. 6. littera A. B., C., & D.*, vbi damus notulam aliarum Epistolarum, & vlterius Magistratus Ciuitatensis *d. Summario Num. 7. littera A.*

Præmittendum secundò prò concessione gratiæ nullum concurrere obstaculum, cum ambo dicti Sanctissimi Viri fuerint ab Ecclesiâ Romanâ canonizati, & eorum nomina descripta in Martirologio Romano, cuius verba inferiùs sunt transcribenda, & eorum officium proprium iàm sit approbatum per Sedem Apostolicam recitandum in Archidiœcesi Hispalen., vt liquet *ex Summario Num. 2., & 3.*, itaut in præsenti solùm agatur prò extensione festiuitatum, & officiorum iàm à Sede Apostolicâ approbatorum, quæ extensio per Sedem Apostolicam maiori benignitate, & indulgentia concedi solet. Quibus ità præmissis speramus ab hac Sacra Congregatione esse precibus Inuictissimi Regis Hispaniarum, Eminentissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi Hispalensis, ac Reuerendissimi Capituli, & tot Oratorum indulgendum.

Quemadmodùm enim, vt nos docet Bonifacius Octauus *in Capitulo vnico de reliquijs, & veneratione Sanctorum in sexto*, in Ecclesia Triumphanti Omnipotens Deus ex sui ineffabili benignitate Dignis digna rependit, potioribus tamen attollit Insignijs Dignitatum, & præmiorum vberiori retributione prosequitur, quos digniores agnoscit, & commendat ingentior excellentia meritorum, ità in Ecclesiâ militanti Sancta Romana Ecclesia, licèt vniuersos in Regnis Cœlestibus constitutos studijs honorare sollicitis, & sonoris efferre præconijs non desistat, eximios tamen Confessores summis attolere vocibus, laudibus personare præcipuis, & specialibus disponit honoribus venerari, vt sunt verba præcisa *Textus in dicto cap. vnico*, vbi Canonistæ firmant, quod quemadmodùm Deus in retributione meritorum magis amplificat illos, qui plùs meruerunt ex ipsorum operibus; ità S. Mater Ecclesia in celebratione festiuitatum eorum imitatur vestigia Dei, vt probat *Ioannes Andreas super dicto Textu, Geminianus num. 1., & 2., Philippus Franc. in dicto cap. Gloriosus num. 2.*, proindèque præcitatus Summus Pontifex *in dicto cap. vnico* statuit, & decreuit, vt festiuitates Sanctorum duodecim Apostolorum, quatuor Euangelistarum, & quatuor Ecclesiæ Doctorum, nempè Gregorij, Augustini, Ambrosij, & Hieronymi ritu duplici ab Ecclesiâ Dei solemnizarentur, & quoad dictos quatuor Doctores sequens præmisit elogium, ibi = *Horum quippè Doctorum prælucida, & salutaria documenta prædictam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt; Per ipsos prætereà quasi luminares, ardentesque lucernas super candelabrum in Domo Domini positas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Ecclesiæ tamquàm sydus irradiat matutinum; Eorum etiam fœcunda facundia cœlestis irrigui, gratia influente scripturarum, enigmata reserat, soluit no-*

dos,

dos, obscura dilucidat, dubiaque declarat: Profundis quoque, ac decoris illorum Sermonibus ampla ipsius Ecclesiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat.

Summus itaque Pontifex Bonifacius Octauus decreuit in toto Orbe Catholico, siuè, vt per vniuersas Orbis Ecclesias Officium proprium Sanctorum Gregorij, Augustini, Ambrosij, & Hieronymi sub ritu duplici solemnizaretur proptèr eorum excellentem doctrinam, & sapientiam, qua Orbem Catholicum illustrarunt, sed non minori fortè laude dignus est Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, qui paritèr sua Doctrina, & Sanctitate Orbem Catholicum illustrauit, quod non solum ostendunt illius libri in Ecclesia Dei summoperè laudati, sed id testimonio Pontificum, & Historicorum comprobatur, à quibus inter Ecclesiæ Doctores videtur adscriptus. Et exordientes à Martirologio Romano in eo die 4. Aprilis de Sancto Isidoro sequentia leguntur, ibi = *Hispali Sanctus Isidorus Episcopus Sanctitate, & Doctrina conspicuus, qui zelo Catholicæ fidei, & obseruantiâ Ecclesiasticæ Disciplinæ Hispanias illustrauit.*

Sanctus Leo Quartus in Epistolâ quam conscripsit ad Episcopos Britanniæ Sanctum Isidorum inter Ecclesiæ Doctores adnumerauit, quam Epistolam transcripsit in suó Decreto *Gratian. in Can. de libellis distinct.20.* cuius verba libentèr transcribimus, ibi = *De libellis, & commentarijs aliorum non conuenit aliquos iudicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vèl Decretalium regulas, quæ habentur apud nos cum Canonibus, quibus in omnibus Ecclesiasticis vtimur iudicijs, idest Apostolorum, Nicenorum &c., & cum illis regula Præsulum Romanorum Siluestri, Syrici, Innocentij &c. & Gregorij Iunioris, isti omninò sunt, & per quos Episcopi iudicant, & per quos Episcopi simul, & Clerici iudicantur: Nàm si tale emerserit, vèl contigerit inusitatum negocium, quod minimè possit per ipsos definiri, tunc illorum, quorum meministis dicta Hieronymi, Augustini, ISIDORI, vèl cæterorum similitèr Sanctorum Doctorum, & similium; si reperta fuerint, magnanimitèr sunt retinenda, vèl promulganda,* = ex quo vident EE. PP., quod Sanctus Leo IV. inter Sanctos Ecclesiæ Doctores *Isidorum adscripsit.*

Quodque Sanctus Leo Papa Quartus Isidorum prò Ecclesiæ Doctore habuerit, probauit, & obseruauit Prudentius Tricensis Episcopus in opere aduersùs Origenem impresso in Bibliothecâ veterum PP. ædita Parisijs anno 1650. *tom.1. pag.230.*

Idque adeò verum est, vt Gratianus Doctorum compilator Ecclesiasticæ Disciplinæ regulas ordine descripturus, non auctor, sed collector tantùm Selectissimorum veterum PP. documentorum ex nullo alio plures, quam ex libris Isidori decerpsisse flores Ecclesiasticæ Disciplinæ probarunt Margheritus Bigneus in Epistola

nuncupatoria operum Sancti Isidori, & Constantius Caiet. *in Triade Epist. Benedict. pag.* 35., & liquet etiàm ex lectura præcitati decreti Gratiani, cuius Textus desumpti apparent ex nostro Sancto Isidoro. Quinimò ipsemet Gregorius Nonus Papa in suis decretalibus sæpè sæpiùs sententijs Isidori vtitur, vt rectè obseruauit, & probat dictus Bigneus in præcitata Epistola nuncupatoria.

Quinimò in Concilijs pluribus Gallicanis celebratis de tempore Caroli Magni, & Ludouici Pij, & præcipuè Canones Concilij Aquisgranensis celebrati sub Ludouico Pio anno 816. verbis, & documentis clarissimi Doctoris Isidori compositi fuerunt, vt probat præcitatus Margheritus Bigneus in præcitata Epistola nuncupatoria.

Quid vltrà nonnè Martinus Polonus Episcopus Gnesnensis in Polonia, *Dominicanus Polonus* nuncupatus Innocentij Quarti Pontificis Maximi Pœnitentiarius, circà annum 1280. Chronicam suam de Summis Pontificibus scribens firmauit, quod Bonifacio Octauo deliberante de ijs, qui Doctorum Ecclesiæ numero, & nomine essent cohonestandi, fuisse, qui Ambrosio Isidorum præferendum censerent, aut saltem illis quatuor prò quinto esse Isidorum adscribendum.

Summam illius scientiam, & Ecclesiasticam Sapientiam omnes Chronistæ Historici ad Sydera extulerunt, nempè Sanctus Idelphonsus Archiepiscopus Toletanus libro de Scriptoribus, seù Viris Illustribus *cap.9.* Sanctus Braulio Cæsaraugustanus Episcopus in vitâ eius vna cum operibus Sancti Doctoris, Hermannus Contractus in suo Cronicon ad annum 622., quorum verba transcripsit bon. mem. Cardinalis de Aguirre *tom. primo.* Conciliorum in apparatù in fine Sigebertus ad annum 627. Guglielmus Malmesburiensis *lib.2. de gestis Anglorum cap.* 10. *Vincentius in Speculo Historiarum Petrus Equilinus lib.4.catalogo* 55.*cap.*30., & denique omnia Martirologia & ipsemet Cardinalis Baronius ad annum 636.; & probat quoque *Gonzales Tellez in cap. ad hoc de Officio Archidiaconi*, vbi Innocentius tertius causam definiuit Sancti Isidori auctoritate, ibique dictus Gonzales *litt. D.*, ibi = *Isidorus Præsul Hispalensis Hispaniæ Doctor Catholicæ Fidei Magister floruit temporibus Recharedi Regis Gothorum*, & plures alij congesti à *Tomayo de Salazar tom.2. Martirologij Hispani die 4. Aprilis*, & iterùm *Gonzalez Tellez in cap. puberes de dispensat. Impuberum*, qui Textus est Sancti Isidori, vt ibi *n.1.* dictus Gonzalez aduertit.

In Concilio denique Toletano octauo, decem, & septem annis post illius obitum celebrato, PP. dicti Concilij Doctrinam Isidori sequenti elogio illustrarunt, ibi = *Nostri quoque Sæculi Doctor egregius Ecclesiæ Catholicæ, nouissimum decus, præcedentibus ætate postremus, Doctrinæ comparatione non infimus, & quod maius est in Sæculo-*

lo-

lorum fine doctissimus ; atquè cum reuerentia nominandus Isidorus . Idemque Cardinalis de Aguirre in *tom.4.* Conciliorum in Epistola nuncupatiua ad nostrum Reuerendissimum Capitulum de præcitatis Fratribus Sanctissimis Leandro , & Isidoro §. 5. eos nuncupauit , ibi = *Gemini oculi Sanctissimi decoris Iesu , nam cur veluti oculi Iesu inter Præsules Ecclesiarum Hispaniæ non dicantur Leander , & Isidorus ? Ille in Concilio tertio Toletano omnium Nationis nostræ celeberrimo veram Deitatem , & consubstantialitatem (idest summam excellentiam , & decorem) Christo Iesù ab Ariomanitis impiè negatam , tàm constantèr , tàm eruditè , tàm felicitèr asseruit , vt Recaredus Rex vestigia sequens non Leouegildi Patris sui, sed Sancti Hermenegildi Fratris , [vt loquitur S. Gregorius magnus] publicè Arianismum abjuraret cum Viris principibus Gothis , & ritè reconciliatus Ecclesiæ Sacram Communionem à Leandro acciperet : Isidorus verò eumdem Christi Iesù decorem seruandum recepit , non modo contra Arianos , sed etiam postmodùm contrà Acephalos in Concilio Hispalensi secundo , præsertìm cap.12. , & 13. , àc postmodùm in Concilio Toletano quarto , cuì præfuit speciatim cap. primo : Iure itaque ambo Fratres dici possunt inter Hispaniæ Episcopos Gemini oculi Sanctissimi Decoris Iesù .*

Si itaquè , Eminentissimi , & Sapientissimi PP. , Bonifacius Papa Octauus *in dicto cap. vnico de Reliquijs, & veneratione Sanctorum in 6.*, nullam aliam causam in dicto Textù adducit , vt festiuitates dictorum quatuor Doctorum in Ecclesiâ Vniuersali cum Officio sub ritu duplici celebrarentur vna cum Sanctissimis Apostolis , & Euangelistis , ex quo Ecclesiam Dei suis scriptis illustrarunt, vt ex verbis suprà transcriptis liquidissimò apparet, eâdem ratione idem cultus per Ecclesiam S.Isidoro tribuendus videtur , dum prò dictâ concessione concurrit causa à iure approbata , quià etiam Sanctus Isidorus suis scriptis Ecclesiam Dei illustrauit , vt probant argumenta , & auctoritates superiùs transcriptæ , quo fundamento inixa Sancta Mater Ecclesia censuit , vt Officium Doctoris sub ritù duplici ab Ecclesiâ vniuersali recitaretur .

Si enim Sedès Apostolica pluribus in Ecclesia Dei Sanctis eumdem cultum assignauit , licèt causam prædictam in iure scriptam non haberent , quantò magìs in Ecclesiâ vniuersali videtur S. Isidoro præcitatus cultus decernendus , dum ipse suis scriptis Sanctam Dei Ecclesiam illustrauit , & prò Doctore Ecclesiæ semper habitus fuit , idque adeò verum est , vt Gregorius XIII. in Breui , quo approbauit Officia Sanctorum Regni Hispaniæ , mandauit, vt in omnibus Regnis Hispaniæ prò S. Isidoro Officium Doctoris cum Credo recitaretur , ibi = *Itèm Festiuitas S. Isidori Episcopi Hispalensis , prò quo celebretur Officium Doctoris , & recitetur Credo in celebratione Missæ* , & proindè eorum , quorum est æqualis Sanctitas , æqualis quoque decerni debet Festiuitatis celebratio , vt dicit

Tex-

Textus in Can. scire debet, distinct. 76., & aduertit quoque *Geminianus in dicto cap. vnico de Reliquijs, & veneratione Sanctorum in 6. num.* 13., ibi = *Sed dicit Textus, quod illorum, quorum est æqualis Sanctitas, æqualis debet esse Festiuitas 76. distinct. can. scire debet.*

Et non solùm EE. PP. prò gratiæ concessione concurrit causa in iure scripta, sed etiam alia vrget ratio, nàm in Ecclesia Dei gradus Sanctorum videntur distincti, vt probat Textus superiùs allegatus, & Canonistæ, qui super dicto *Textù in cap. vnico de Reliquijs, & veneratione Sanctorum in 6.* scripserunt, quorum graduum distinctionem agnoscit quoque S. Mater Ecclesia in Sanctorum Litanijs, & proindè si ex benignitate Sedis Apostolicæ etiam Sanctis, qui in Classe inferiori Sanctis Doctoribus describuntur, celebrationem Festiuitatis sub ritù duplici concessit, proùt passim eorum Festiuitates in Breuiario recurrunt, & ex recentioribus S. Ignatius de Loyola, S. Franciscus Borgia, S. Ioannes Dei, S. Antonius de Padua, Sanctus Carolus Borromeus, & alij quamplurimi, idcircò multò magìs præcitati officij concessio facienda est pro S. Isidoro, tamquam Ecclesiæ Doctori, quià omnes S. Ecclesiæ Doctores in maiori classe, quam Ecclesiæ Confessores describuntur, seù Confessoribus anteponuntur.

Quod autem officium S. Isidori quoad Ecclesias Regnorum Hispaniæ celebrari debeat sub ritù duplici secundæ classis cum octauâ videtur ex eo probari, quià semper Ecclesia Romana, ad quam spectat modum, & ritum celebrandi SS. Festiuitates præscribere, in Regnis, in quibus Sancti nati sunt, maiori cultù esse venerandos decreuit; Nàm Officium S. Antonij de Padua in toto Regno Portugalliæ, vbi natus est, ex decreto huius Sacræ Congregationis recitari debet sub ritù duplici cum octauâ, vt decreuit hæc Sacra Congregatio die 5. Iunij 1631. *Teste Barbos. de Parochis cap. 10. num. 27.*, & in summa Apostolicarum *Decisionum collect. 530. nu. 8.*; Sic quoque prò S. Cassiano officium duplex cum octauâ in Ciuitate, & Diœcesi Imolen., vbi natus est decreuit hæc Sacra Congregatio 3. Decembris 1616., *Teste eodem Barbosa dictâ collect. n. 11.*; Sic etiam hæc Sacra Congregatio sub die 24. Iulij 1683. ad pias præces Serenissimi Regis Catholici concessit, vt Officium, & Missa S. Francisci Borgiæ Tertij Præpositi Generalis Societatis Iesù in Regnis Hispaniæ, vbi natus est, sub ritù duplici secundæ Classis deberet recitari, & passim habemus exempla; Semper enim ab hac Sacra Congregatione maior cultus præscribitur Sanctis in illis Regnis, in quibus nati sunt; Quæ eò magìs procedunt in præsenti, dum Sanctus Isidorus omnia Regna Hispaniæ sua Doctrinâ, suisque Concilijs in dictis Regnis celebratis illustrauit, & ab hæresibus expurgauit, vt notissimæ sunt historiæ, & supra probatum fuit.

Eo-

Eoquè magis gratia, prò quà supplicatur, videtur à Sede Apostolicâ concedenda, tùm quià prò illa intercedit, & supplicat Catholicus, & Inuictissimus Rex Hispaniarum, Eminentissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus, ac Illustrissimus Magistratus Ciuitatis Hispalensis, tùm quià prò eâdem gratiâ supplicant omnes Ecclesiæ,& Magistratus Ciuitatum dictorum Regnorum,vt ex *Summ. apparet*.

Quò verò ad secundam gratiam, prò quà supplicatur, vt Officium S. Leandri paritèr Archiepiscopi Hispalen., & germani fratris S. Isidori sub ritù duplici prò Ecclesiâ Hispalensi à Sede Apostolica concessum, ad omnes Ecclesias Regnorum Hispaniæ extendi, & ampliari dignentur sub eodem ritù duplici, vt hæc Sacra Congregatio faciliùs ad extensionem dicti Officij moueatur non nulla de meritis dicti Sancti præmittenda duximus, & beneficia quæ Ecclesiæ Regnorum Hispaniæ præcitati Sancti Doctrina scientiâ, & zelo receperunt. Et incipientes à Martirologio Romano tertio Kalendas Martij Sancta Romana Ecclesia Sanctum Leandrum sequenti Elogio illustrat, ibi = *Hyspali in Hispaniâ natalis S. Leandri ejusdem Ciuitatis Episcopi, cujus prædicatione, & industriâ Visigothorum gens adiuuante Recaredo eorum Rege ab Ariana impietate ad Catholicam Fidem conuersa est* ==, quod confirmauit Gregorius Turonensis *Lib.5. Hystoria Franciæ cap.38.*; Idque confirmat etiam S. Isidorus Frater in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis *Cap. 28.*, ibi = *Cujus fide, atquè industriâ factum est, vt Populi Gentis Gothorum ab Ariana insania ad Fidem Catholicam reuerterentur*, & comprobat Epistola S. Gregorij Magni, qui tunc temporis Ecclesiam Dei regebat conscripta S. Leandro, vt ex regestro Epistolarum eiusdem *Libr. prima num.41.*; Idem quoque celebrauit Concilium Toletanum tertium, in quo præcitata hæresis Ariana à Regnis Hispaniarum exulata fuit, & celebratum fuit cum septuaginta duobus Episcopis, de quo Biclarensis ad Annum octauum Martyrologij impressor sic scripsit; ibi == *Summa Synodalis negotij penès Sanctum Leandrum Hyspalensis Ecclesiæ Episcopum*, cumque summis laudibus extollit Eminentiss. Baronius ad Annum 589., vbi ait credendum esse S. Leandrum in d. Concilio, tamquam Sedis Apostolicæ Legatum interfuisse.

Præfatus S. Leander in tanta fuit existimatione Sanctitatis, & doctrinæ apud S. Gregorium Magnum, vt S. Gregorius Libros Moralium in Iob Sancto Leandro nuncupauerit, seù dicauerit, & in eò testatur de amicitiâ præcedentèr inter ipsos contractâ in Ciuitate Constantinopolitanâ, ad quam tàm Sanctus Leander, quam S. Gregorius Magnus, antequam Pontifex crearetur prò defensione Fidei Catholicæ accesserant, ibi = *Dudùm te, Frater Beatissime, in Constantinopolitanâ Vrbe cognòscens, cum me illic Sedis Apostolicæ responsa constringerent, & te illùc iniuncta prò Causis Fidei Regis*

Vvi-

Vvisigothorum legatio perduxisset, omne tuis auribus, quod de me displicebat, exposui =, eximiusque S. Leandri laudes idem Pontifex recenset in Epistolâ responsiuâ ad eumdem Leandrum conscriptâ, & registratâ in libro septimo in ordine *la* 126. ; ibi = *Sanctitatis tuæ suscepi Epistolam solius charitatis calamo scriptam, ex corde enim lingua tinxerat, quod in cartha paginâ refundebat: Boni autem, sapientesque Viri, cum legeretur, affuerunt, quorum statim viscera in compunctione commota sunt: Cœpit quisque amoris manù in suo corde te rapere, quia in illâ Epistolâ tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere: Accendebantur, & mirabantur singuli, atquè ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuit ardor dicentis, nisi enim priùs in se faces ardeant, alium non succendunt; Ibi ergò vidimus quanta charitate tua mens arserit, quæ sic, & alios accendit*, & deindè subiungit, ibi = *Vitam verò vestram, cuius ego semper magna veneratione reminiscor, minime nouerunt, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humanitate sermonis* =, ex quibus cognoscere possunt EE. PP. in quantâ existimatione S. Gregorius Magnus habebat Sanctitatem, & doctrinam Leandri Episcopi Hispalensis, & ipse Baronius ad Annum 589. Leandri libros propter eorum profundam doctrinam summoperè commendat, ibique præsertim transcribit Homiliam, seù Sermonem ab eò habitum in tertio Concilio Toletano *num.* 20., quam dicit fuisse conscriptam, ibi = *Simplici, & impolito stylo (ut sæculi huius barbàrie sylvescentis conditio ferebat) sed Diuinâ scientiâ valde referto, & sapientiâ mirificè exornato instar Arboris licèt cortice durioris, tamèn pomorum pendulorum fecunditate pulcherrimæ*.

Ex quibus EE. PP. possunt agnoscere quantum incrementum susceperit in Regnis Hispaniarum sana, orthodoxaque Religio à Doctrina, Sanctitate, & laboribus S. Leandri Archiepiscopi Hispalensis, vt Pestis Ariana à prædictis Regnis expulsa fuerit doctrinâ, & laboribus tanti Sancti; itaùt meritò illius Officium, & Missa sub ritù duplici ab hac Sancta Sede S. Ecclesiæ Hispalensi concessæ ad omnes Ecclesias Regnorum Hispaniæ sit extendendum, dum vniuersa Regna Hispaniæ hoc beneficium abrogatæ hæresis Arianæ S. Leandro debent. Plures enim causæ prò extensione dicti Officij concurrunt, quarum prima est, quià S. Leander fuit natione Regnorum Hispaniæ, & Regiæ Stirpis, & proindè cultus illius in omnibus Regnis est extendendus, iuxtà praxim huius Sac. Congregationis. Secundò quià omnia Regna Hispaniarum puritatem nostræ Sanctæ Religionis à dicto Sancto Leandro agnoscunt, dùm ab eò profligata fuit Pestis Ariana; quà dicta Regna erant infecta, & profanata, idcircò in omnibus Ecclesijs Regnorum Hispaniæ resurgere debet illius cultus, & deuotio; Tertiò quià pro dictâ extensione supplicat non solùm Inuictissimus Rex Catholicus, Eminentissimus, & Reuerendissimus Archiepiscopus,

Reue-

Reuerendissimum Capitulum, & Canonici Principales, & Illustrissimus Magistratus Ciuitatis Hispalensis, sed omnes Ecclesiæ Regnorum Hispaniæ, vt ex *Sum.n.6.*

Quinimò cultus dicti Sancti videtur antiquitùs vniuersali Ecclesiæ fuisse communis, dùm in quodam Breuiario Romano antiquissimo, qui conseruatur in Bibliotheca Vallicellensi Congregationis Oratorij à die 13. Martij pagina 280., Officium dicti Sancti perlegitur cum admirabili illius vitæ, & Sanctitatis elogio, vt testatur *Eminentissimus Cardinalis dè Aguirre in tom. secundo Conciliorum pagina mihi 397. num.20.*, vbi transcribit elogium in dicto peruetusto Breuiario Romano scriptum, & successiuè *fol. 398.*, *399.*, *fol.400. vsque ad fol.405.*, transcribit Epistolas à S. Gregorio Magno conscriptas ad præfatum S. Leandrum Episcopum Hyspalensem, quo circà iure meritò sperare licèt omnium dictorum Officiorum à benignitate S. Sedis Apostolicæ extensionem ad formam præcitatæ supplicationis.

Et ità &c.

Index de los Papeles

Vitus Angelus Caualletti.